

Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis
Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev
De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

I. Gregorius II. Papa Bonifacium in Germaniam misit, ut gentes illas in fide Christi erudiret. Is gessit vicem Petri inter feroceſ & indomitaſ gentes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

la. Ait enim in fine istius responsi: *Britanniarum verò omnes Episcopos sue fraternitati committimus, ut indocti doceantur, infirmi persuasione roborentur, perversi auctoritate corrigantur.* Porrò privilegium hoc personale fuisse jam observavimus. Posterioribus tamen seculis Vicarij sive Legati dignitas affixa est Ecclesiæ Cantuariensi, ita ut Ecclesiæ illius Episcopus diceretur Legatus natus sedis apostolicæ.

C A P V T XLIII.

Synopsis.

I. *Gregorius II. Papa Bonifacium in Germaniam misit. ut gentes illas in fide Christi eridiret. Is gesit vicem Petri inter feras & indomitas gentes.*

II. *Legatione iugur Romana sedis ornata est; si ipse docet apud Othlonum & alibi. Probatur etiam auctoritate Hincmari.*

III. *Legationem exercit cum consensu Regum nostrorum & Episcoporum, in neminem consumellet. Agnovit autem nullam se muneric sui partem exequi posse abique auctoritate Karoli Francorum Principis. Karoli Martelli pietas landata à Bonifacio & a Pontificibus Romanis. Bonifaciu auctoritatem ecclesiasticam nusquam frangi permisit. quod probatur auctoritate Lupi Ferrariensis.*

IV. *Gregorius II. Legatum suum Bonifacium commendavit Karolo Martello, tum omnibus Francis, rogans eos uti Bonifacio sociisque ejus alimenta viliu necessaria subministrarent.*

V. *Queritur an ad Bonifacium perinuerit congregatio Conciliorum. Poterat cogitare de celebrando Concilio; sed eis ministerium quod hoc in sola suggestione positum erat, omninoque auctoritate Principis opus erat ad Concilia congreganda. Quod probatur auctoritate Concilij Liptenensis, tum etiam testimonio Villibaldi.*

VI. *Exiitio Zacharia, opus Bonifacii fuit vicarius continuationem petere a Stephano secundo.*

VII. *Familiaritatis apostolica sedis vocabulo intelligitur vicarius Romanus. Probatur auctoritate Bonifacij, Nicolai primi, & Innocentij tertii.*

VIII. *Refertur epistola Bonifacij ad Stephanum; qua petitiui legatio sedis apostolicae sibi continuetur.*

IX. *Ostenditur id factum ab eo non esse prava ambitione, sed ut extraordinaria illa auctoritate uestitur ad maiorem De gloriam. Instituitur aliqua comparatio inter Bonifacium & Hilarium Episcopum Arelatensem.*

X. *Bonifacius abstinuit à nomine Legati donec eam dignitatem rursum accepit a Stephano, ut colligatur ex duas illius epistolis. Martyrium pro Christo deinde subiit in Frista.*

I. **V**EM A D M O D U M Gregorius pri-
mus Anglos fide Christiana im-
buendos suscepit, ita Gregorius secundus
Germanorum curam gesit, misso in eam
provinciam Vvinfrido sive Bonifacio anno
Christi septingentesimo decimo nono. De
viri illius virtutibus necesse nunc non est

quicquam dicere, cùm satis fama notus sit, résque ab eo præclarè gestæ claris jam scriptoribus memoratae sint. De legatione tantum ejus agendum est, ut intelligere possimus in quo ea versaretur, & quis ex ea fructus colligi pro rebus nostris possit. Illud tamen interim observare possimus in antecessum, multis eum variisque contradictionibus jaclatum esse, utpote qui, ut ad ipsum scribit Benedictus Episcopus & vicedominus ^{s. 2. m. 10.} sanctæ sedis apostolicae, vicem beati Petri gereret inter feras & indomitas gentes. Plurimum tamen solatij inter tot mala habuit ex gratia Principum nostrorum, qui sua eum auctoritate juvarunt, eoque usi sunt ad revocandam collapsam disciplinam ecclesiasticam.

II. Legatione illum Romani Pontificis ornatum fuisse cùm in Germaniam missus a Gregorio est, tametsi Presbyter tantum esset, patet ex verbis ipsius ad Vvillibordum Episcopum Trajectensem, quæ recitat Othlonus. *Onus regiminis, inquit, quod mibi indigne imponere cupis, sancte Presul, suscipere non audeo, quia à beato Gregorio Papa in Germaniam ob evangelizandi causam directus sum; ipsiusque legationis gratia in his barbaras nationes adveniens, sponte me tuae gubernationis imperio subjeci.* Ea de causa ipse se eadem tempestate vocabat ultimum & pessimum omnium Legatorum quos catholicæ & apostolica Romana Ecclesia ad prædicandum Evangelium destinavit. Et multò pôst ad Zacharium Pontificem Romanum scribens ait: *Et quia servus tuus & Legatus apostolice sedis esse dinoscor, unum sit verbum & meum hic & vestrum ibi. Testatur idipsum & Hincmarus in epistola xlii, cap. xx. Gregorius à primo secundus, sed & tertius Gregorius, Vvinfrido cognomento Bonifacius Legatus apostolice sedis ad reformandam Christianitatis religionem, primi Presbyterum, postea vero Episcopum ordinatum, direxerunt.*

III. Vicariatum ille suum exercuit cum consensu Regum nostrorum & Episcoporum, quorum intererat, nulla injuria facta juri Principum aut Conciliorum. Itud ex epistola cxxxv, Bonifacij ad Zacharium collegit illustrissimus Archiepiscopus, in qua sic legitur: *Notum enim sit paternitati vestra quia postquam indigno mihi mandatis in provincia Francorum, sicut & ipsi rogarerunt, sacerdotali Concilio & synodali conventui praefesse, multas injurias & persecutions passus sum. Sancte ipse Bonifacius scribens in initio sua legationis ad Danielem Episcopum, agnoscit nullam se muneric sui partem exequi posse abique auctoritate Karoli Francorum Principis. Nam sine patrocinio Principis Francorum nec populum regere, nec Presbyteros vel Diaconos,*